



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Clara Et Praeclara Methodus Parandæ Eloquentiæ,
Secundùm Doctrinam & Præcepta Cypriani Soarii è
Societate Jesu, Ad Captum Et Praxim Faciliorem
Accommodata**

Worpitz, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1700

Liber tertius Cypriani Soarii. Caput primum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68908](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68908)

Magistri diligentia suggerit & suppeditat. Verum in elocutione ut præstans sit, hic ei enitendum est. Qua etiam ex causa in hujus partis expositione prolixior ero, ut obscuriora libri tertii apud Soarium loca, clariora fiant, & pluribus exemplis illustratæ, proximæ juventuti reddat faciliorem.

CYPRIANI SOARII.

LIBER III.

EST autem (in genere loquendo) eloqui; rem aliquam mente conceptam verbis exprimere *Oratorie verò eloqui, est rem inventam & dispositam cum ornatu verborum & sententiarum explicare.* Unde elocutio potissimum consistit in ornatu troporum & figurarum simul cum numero oratorio. Inde cõsurgit aliquod dicendi genus ex tribus illis c. 51 libri hujus. Tria verò ad elocutionem consequendam præscribuntur media, 1. ars, id est, præcepta quædam circa tropos, figuras & numerum oratorium. 2. Exercitatio. 3. Imitatio. ad primum inserviet fusiior libri hujus explanatio; ad secundum frequens exemplorum fabrica; ad tertium sedula troporum & figurarum in Auctorum expositione observatio. Quare explicatâ v. g. parte orationis in Cicerone indicandi erunt tropi, figuræ verborum, & sententiarum, incisa mēbra, periodi, junctura &c. quod etiam in aliorum auctorum prælectione fieri poterit. Ad horum

rum

972 *De Exornatione Argumentationu*
rum facilitatem exempla infra ponenda
subservient.

*N*ua verò dum dicit Cyprianus Soarius,
eloqui est omnia quæ mente conceperis &
intellige, omnia quæ judicasti esse apta
proferantur: omnes enim ineptæ, quæ occu-
runt cogitationes & rationes, promi non de-
bent. Dum verò dicit: promere, id est, pande-
re & manifestare, intellige sine voce & gestu,
alioqui elocutio pronuntiationem in se con-
tinebit, & sic non erunt quinque partes Elo-
quentiæ, quod est contra c. 7. lib. 1. Nisi dicat
ab authore elocutionem hinc esse definitam,
prout vulgariter accipitur, non oratoriè, ut
indican verba, quæ sequuntur, & ad audien-
tes proferre, quod sine voce fieri nequit. Co-
terùm quid elocutio oratoria sit, jam exactè
definiuit c. 7. lib. 1. Eloquens autem non ina-
ni solùm verborum bractea sibi plaudet (hoc
enim loquaculorum est) sed necesse est, ut si-
mul argumenta afferat, quibus intellectum
convincat; ut autem libenter, & cum gustu
audiatur, rebus & verbis delectandus est au-
ditor. Ut verò dictione persuadeat, qui finis
est Oratoris, voluntatem movere & impelle-
re debet, quod amplificando efficitur. Unde
liber primus de Inventione præsupponitur
ad perfectum oratorem formandum; ad in-
cipientem verò sufficit elocutio, sicut ad Ti-
ronem pictoriæ artis satis est, principio res ab
alio æri incisas illuminare: nam & hic Elo-
quentiæ Tironi materiam illuminandam tro-
pis & figuris offert ipse Magister.

Qua